

sores marchiones Misnenses pro tempore existentes tamquam verum ius patronatus laicale perpetue habendum et pacifice possidendum, taliter quod ad ipsam ecclesiam parrochiam beatæ Mariæ in Dresden deinceps perpetuis futuris temporibus quando et quociens eam vacare contingat valeamus personam idoneam praesentare, statutis iuribus et consuetudinibus episcopalibus synodalibus et archidiaconalibus ipsi ecclesiae in Dresden incumbentibus in omnibus semper salvis, iuxta dicti domini . . . episcopi et capituli Misnensis litterarum nobis desuper concessarum continentiam et tenorem. Et quia ecclesiam Misnensem ac personas ipsius in suis adeptis bonis et iuribus nostris temporibus non minuere sed quantum nobis ab alto conceditur potius augere cupientes volentesque huiusmodi ius patronatus ecclesiae parrochialis in Dresden sic ut praemittitur in viam permutationis nobis traditum et concessum dignae retributionis compensare dulcedine et episcopo et ecclesiae Misnensi de restauro sufficienti providere, ius patronatus sive ius conferendi ecclesiarum parrochialium beatæ Mariæ virginis in Ebirspach et sancti Nicolai in Friberg, quod nobis et nostris progenitoribus hactenus ab antiquo competeat, praefato domino Thymoni episcopo et ecclesiae Misnensi ex causa permutationis supra scriptae vice versa tradimus concedimus et applicamus, transferentes et transfundentes ex certa nostra scientia pro nobis et omnibus heredibus et successoribus nostris dictum ius patronatus praefatarum ecclesiarum parrochialium in Ebirspach et sancti Nicolai in Friberg in dictum dominum . . . episcopum et omnes successores ipsius et in ecclesiam Misnensem praesentialiter in his scriptis ac nihilominus constituimus et facimus eosdem praedicti iuris patronatus ipsarum ecclesiarum in antea veros et legitimos possessores, ita quod deinceps perpetuis futuris temporibus quandocumque vel quocienscunque per cessum vel decessum dictas ecclesias vel aliquam earum vacare contingat, extunc . . . episcopus Misnensis qui pro tempore fuerit ad quamlibet dictarum ecclesiarum simul aut successive vacantium unum canonicum ecclesiae Misnensis maiori praebenda praebendatum emancipatum et integratum et non aliam personam debeat praesentare. In quorum omnium et singulorum evidens testimonium praesentes litteras nostrorum sigillorum appensione fecimus communiri. Testes huius rei sunt nobiles et strenui viri domini Johannes comes in Swarczpurg, Henricus comes de Swarczpurg et dominus in Sundirshusen, Albertus burgravius de Lissenig dominus in Penig, Albertus burgravius in Kirchberg, Henricus dominus in Gera nec non Offo de Sliwin, Theodericus de Berewalde, Albertus de Botilstete milites et plures alii fide digni. Datum Lipczk anno domini millesimo quadringentesimo quarto prima die mensis Octobris.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit den fünf Siegeln der Markgrafen an Pergamentstreifen.

Weck Dresden S. 240. — Horn Leb. Friedr. d. Streitb. S. 719. — Calles series Misn. episc. p. 276. — Hasche Urkundenb. S. 171.

No. 120. 1404. 1. Oct.

*Bischof Thimo von Meissen erklärt seine Bereitwilligkeit zur Abtretung des Patronatrechts der Frauenkirche zu Dresden gegen Ueberweisung des Patronatrechts der Marienkirche zu Ebersbach*